CARMEN

DE COMITE AGLEICHEN, BIGAMO,

Scriptum

AD

ILLUSTRES ET GENEROSOS COMITES ET DOMINOS, DOMINUM PHILIPPUM-LUDOVICUM, illustris & indytę scholæ Comitum in Nassau, Cattenelnbogen, quæ est Herbornæ, Rectorem: & dominum ALBERTUM, Comites in Hanavv, dominos in Mintzenberg, & Reineck; dominos suos clementissimos;

A

SIMONE PROBSTHAIN MYSIO.

HERBORNÆ
Typis Christophori Corvini.
M. D. LXXXIX.

AD

ILLUSTRES ET GENEROSOS COMITES ET DOMINOS, DOMINUM Philippum-Ludovicum, & Dominum Albertum, fratres germanos, Comites in Hanaw, &c.

PArva damus magnis: tamen & sua gratia parvis
Rebus inest, siquidem gratia grata facit.
Quocirca petimus, Comitum mens clara duorum
Accipiat vultu carmina scripta bono.
Vilia sint quamvis, nec Apollinis arte polita:
At scio, mens Comitum quòd generosa favet.
Curita? nam Comites didicisse fideliter artes,
Carminaq; alterius nosse legendo juvat.
Omnia nemo potest: nec homo placet omnibus unus;
Sat mihi, si Comites carmina nostra probent.

SIMON PROBSTHAIN MYSIUS.

CARMEN DE COMITE A' GLEICHEN, BIGAMO, IN EXPEDITIONE CÆsaris Friderici I. Barbaroſſæ contra Turcas, à Turcico rege capto, & mirabiliter per filiam Turcici regis Saladini ex carcere liberato, anno Chriſti 1227.

Bis centum cúm Sol ac mille peregerat annos,
Terq́ nouem á partu, quo caſtæ virginis alvo
Natus homo eſt Chriſtus: Fridericus nomine primus
Cæſar: priſcorum regum quo juſtior ullus
Nec pietate fuit, bello nec major & armis,
Aduerſus Turcam juſto graue Marte Tyrannum
Suſcepit bellum pro relligione tuenda,
Pro conſervanda patriæ, rerumq́ ſalute.
Præ reliquis fama multis memoratus in oris
Nobilis à Gleichen Comes: hîc Erphordia in urbe
Notus erat multis, vir clarus & inclytus armis;
Se ſocium caſtris adhibet, cum Cæſare junxit
Fœdera, conſtanter nec non eſt ſigna ſecutus
Cæſaris, & vitam ſuprema per omnia duxit,
Quo res cunq́ cadent, ſemper fuit ille paratus.
Iam cúm ſe nimiúm dubiæ auſus credere ſorti
Is fuit, ingenti pugnandi incenſus amore,
Vincere pro patria, vel honeſtæ occumbere morti
Nominis ob Chriſti cauſam, patriæq́ ſalutem;
Neſcio quo caſu, capiundo retentus ab hoſte eſt.
Nam Comes ut Turcam vidit bellare ſecundo
Marte, ſuos verò Germanos turpé necari;
Cuncta extrema cupit, ſeu ſors, tentare, ſecunda,
Sive adverſa foret, quia non erat ulla fugæ ſpes.
Scandit equum celerem, curſu ſaltuq́ ſuperbum
Illuſtris Comes, & media inter prælia tendit,
Multaq́ Turcorum dat inertia corpora letho.

O animi virtus constans! furit ille per hostes,
Ceu lupus impastus, quem sæva fatigat edendi
Ex longo rabies, descendere montibus altis
Lanigeras pecudes cùm cernit parva legentes
Pabula; balatum exercent sub matribus agni:
Irruit in pavidas ille asper, & improbus ira,
Et, quotcunq; potest, rapit, & fremit ore cruento:
Non aliter Geticum violentia gliscit in hostem
Accenso Comiti: furit ardor Martius, intus
Æstuat, irarumq; omnes effundit habenas.
Concurrunt Saracenæ acies, atq; omnibus uni,
Vni, odiisq; viro, telisq; frequentibus instant.
Ille manu valida pugnat, tum corpora multa
Sternit humi, cedunt Turcæ, properantq; vicissim.
Actus aper veluti, quem multos fagifer annos
Lucus alit, sterilisq; palus defendit ab æstu,
Latratu, morsuq; canum vexatur abundé
Venantum: verùm postquam inter retia ventum est,
Substitit ille ferox, dentemq; in dente fatigat
Asper acerba fremens, nec cuiquam accedere virtus,
Audeat ire feram contra, non ulla canum vis
Terret eam: jaculis procul, & clamoribus instat
Venator, tandem fessam venabula perdunt:
Sic quoq; Turcorum, postquam concessit in iras
Mens generosa Ducis, nulli concurrere ferro
Est animus, metuunt, propiusq; accedere nolunt,
Crebra nivis ritu jaciunt tamen undiq; tela,
Et fessum pugna tandem succumbere discunt.
Ergo Comes captus Saraceni ad castra tyranni
Ducitur: at reliqui fugiunt, quos vivere sivit
Vis inimica hostis: cecidit manus omnis ab ense.
Postquam conspexit Comitem Saladinus, acerbis
Affatus verbis; secumq; in barbara regna
Captivum duxit, tum tetro carcere clausit.

Carcere

Carcere ſed poſtquam Comes eſt extractus iniquo,
Turca coëgit eum duros perferre labores:
Ruſtica quin opera ad facienda Tyrannus adegit.
Accipe nunc etiam, ſit qua ratione redemptus
Ex ferro, & vinclis, duraq; tyrannide miles
Barbarici Regis generoſus, & inclytus Heros.
Accidit, ut Regis ſpaciandi gratia abiret
Filia, forte videt Comitem indulgere labori
Servili, hunc adit, & roſeo ſic incipit ore:
Heus vir, quicunq; es, qui ſis, quo ſanguine cretus,
Fare age? quæ te deinde agitet fortuna fatere?
Qui caſus, memora, te noſtris appulit oris?
Ille hæc depoſita tandem formidine fatur:
Omnia, virgo, equidem tibi jam Regina fatebor
Vera, inquit, neq; me Chriſti de gente negabo:
Sum Comes á Gleichen illuſtri ſtemmate cretus,
Cæſare Germano hoc bellum ad crudele profectus,
Sed tandem fato belli in certamine captus
Huc veni, virgo, duroq; labore neceſſe eſt
Torqueri corpus vitam lucemq; peroſum.
Vellem equidem fieret Rex ut me mitteret Orco.
Sic fatus, tendit duplices ad ſidera palmas,
Ingemit, & rurſum hæc, ô terq; quaterq; beati,
Voce refert, quibus in medio certamine Martis
Contigit oppetere, & vitam effudiſſe ſub armis.
Obſtupuit virgo, obtutuq; immobilis hæret
Militis egregii: placet illi forma tuendo
Iam magis, atq; magis, pulcro decus enitet ore,
Illuſtremq; virum, magnisq; parentibus ortum
Moribus apparet, facies ſimul arguit ipſa;
Ardet amans virgo, tum cæco carpitur igni,
Quo magis aſpexit Comitem, vis ignea amoris
Hoc magis exarſit, traxitq; per oſſa furorem.
Talibus aggreditur pudibundo heroica vultu

Virgo virum illustrem dictis: (cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit:
Humorem lactis veluti quis sanguine miscet,
Et color apparet talis quoq; virginis ore.)
Si mihi connubio stabili te jungere spondes,
Meq; ambire cupis thalamo, te carcere, vinclis,
Eripiam, redimam, tristiq; tyrannide solvam,
Inq; tuam patriam tecum proficiscar amicam.
Ad quam sic breviter: Fieri hoc nequit, optima virgo.
Est mihi namq; domi conjunx, est plurima proles?
Cui virgo contrá: nihil est quód dicta retractes:
Conjugibus Geticis uxores ducere binas,
Vel plures mos est: liceat tibi lege fruare
Nostra, dum poteris. Cui vir: sed nomina Christi
Confiteor, veneror: tu contrá hæc numina temnis?
Virgo refert contrá: Comes ô, qui plurima fando
Enumerare vales, exibis carcere nunquam.
Vir tandem rursum: sed qua ratione, quod instat,
Confieri possit? fiat Regina, quod optas.
(Dulce etenim visum Comiti, si carcere virgo
Privet eum) Tum sic excepit Regia virgo:
Mecum erit iste labor, nihil hæc te cura remordet.
Ergo omnem movit lapidem noctesq; diesq;,
Liberet ut Comitem Saladini Filia Regis.
Res bene succedit, favet & fortuna labori:
Concelerare fugam, patriaq; excedere terra
Virgo parat: claram Comes, ac animosa virago
Accedunt urbem Venetorum pectore leto.
Ergo ibi dum Comes, & Regina manendo morantur:
Ilicet offendit famulum, qui tempore longo
Inquisivit eum: postquam data copia fandi,
Alter & alterius faciem cognovit, amicé
Conjunxêre manus: Comes & sic farier infit:
Veráne te facies affert mihi serve fidelis?

Iam

Anima mea quid conjunx? superátne, & vescitur aura?
Incolumésne simul nati jam luce fruuntur?
Quæ etiam Natis amissi est cura parentis?
Quáve status patriæ nostræ narrando recense?
Cui servus: Generose Comes sunt omnia salva:
Incolumis conjunx, soboles quoq; salva superstes.
Gaudeo, respondet Comes, & res ordine pandit
Servo: servus enim scitari, & quærere causas
Conjugis externæ ardebat, cúm prima superstes
Afforet, & narrantis Heri pendebat ab ore.
Fœmina, quam videas, nostra est, & filia Regis
Turcorum, illa mihi nupsit, vinclisq; solutum
Reddidit, una fuit vitæ, tum causa salutis.
Miratur servus factum, mentemq; virilem
Virginis, (& quondam his redit in præcordia virtus)
Ergo iter inceptum peragunt, Romæq; propinquant
Et Comes, & Regina simul, famulansq; minister.
Illi ubi dum fuerint, Romani præsulis ædes
Augustas adeunt: fit supplex inclytus Heros,
Singula Pontifici recitat, ceu gesta fuêre.
Tum veniam petiit Romano à præsule summo:
Scilicet haud temeré factum, Venerísve nefandæ
Causa: sed tali ratione redemptus iniquo
Carcere sum, dixit, fuit una redemptio virgo.
Illi igitur rursum thalamum, tædasq; jugales
Promisi sanctè, Pater, & sanctissime Papa.
Consequitur veniam Comes, & Regina fatendo,
Crimina cuncta illis Romanus Papa remisit:
Reginam Comiti junxit, propriamq; dicavit.
Hæc ubi facta: viæ se rursum accingere curant,
Reginamq; Comes secum sub Teutonis oras
Vxorem ducit salvam comitante ministro.
Sed priús ad Comitis quám splendida tecta venirent,
Præmisit Dominus servum, cui talia mandat:

Quadrupedem ascendas serve, & pete limina nostra,
Atq; meis verbis optatam ferto salutem
Vxori, natisq; simul: memorando secundum
Addito conjugium celebrasse, tenereq; mecum:
Scilicet hæc Regis Turcorum filia habetur,
Vnica causa fuit vitæ hæc, nostræq; salutis.
Et si ferre potest, ea quo ducatur ad ædes,
Indicet, & quænam sua sit sententia pandat
Pectoris: hæc summa est, hic noster nuncius esto.
Dixerat: ille sui Domini parere parabat
Imperio, & Comitis cursu tendebat ad arcem.
Continuó uxori, Dominus quæ jusserat illum,
Nunciat, & (longé quæ jam tristata fuisset)
Nuncia lætа refert: Dominus tuus optima vivit
Fœmina, nec procul est, sed quám prius adforet ipse,
Hæc tibi ferre jubet celsas mandata per ædes:
Conjugem habet secum, quæ Regia filia habetur
Turcorum Regis, dominum quæ carcere cæco
Eripuit: contrá dominus connubia sanctè
Promisit, nec non (quoniam sic fata tulêre)
Duxit in uxorem summo Duce præsule Romæ;
Quam si ferre voles, ad vestra hæc limina ducet:
Turpe etenim fuerit Comiti, si linqueret illam,
Quæ conservatrix vitæ, quæ causa salutis.
Auribus hæc captans Mulier generosa, per omne
Gestit ovans corpus, pertentant gaudia pectus:
Lætitia exultans oculorum flumine largo
Humectat nimia vultum, nescitq; profari.
Tandem pauca refert: Domino, dilecte minister,
Significa, proprias dominus gradiatur ad ædes,
Visere quem mea mens toties exoptat, & orat:
Conjugem & externam nostra hæc ad limina ducat.
Gaudeo viventem dominum quód cernere rursus
Fata sinant: ardet Comitem mens nostra tueri.

Dixerat.

Dixerat. ad Comitem servus rem pertulit omnem.
Ergo Comes gressum, peregrinaq; fœmina flectunt
Limen adoptatum: sed costa domestica postquam
Conspexit Comitem venientem, occurrit, & illum
Amplexa est, nec non simul oscula uxoria fixit,
Accepitq; manu sua secum pignora ducens.
Dehinc simul amplexa est peregrinam conjugem, & illi
Oscula libavit: nostrisq; penatibus hospes
Fœmina succedas dixit, nostrisq; fruare
Ædibus: una domus nobis, conjunxq; sit unus.
Vna salus ambobus erit: quia causa, caputq;
Has iterum ut videat sedes, has spectet ut ædes,
Testor utrumq; caput: [illegible] conservatio vitæ
Illustris domini nostri [illegible] mihi carior auro
Es germana soror, quin vita carior ipsa:
Perpetui tibi dextra manus sit pignus amoris.
Porrigit, atq; animum præsenti pignore firmat.
Sic fuit uxorum conjunx Comes ille duarum,
Concordiq; animo lecto mansêre sub uno,
Ædibus atq; unis ambæ (mirabile dictu.)
Pulcrior, & quamvis forma præstantior esset
Herois, sterilis facta est, partuq; nec apta.
Altera sed contrà numerosa prole parentem
Dante DEO *Comitem fecit. (nam dona Tonantis*
Maxima sunt nati) sic quamvis altera habetur
Pulcrior: ast illam superat tamen altera partu.
Infantes Regina tamen quasi pignora ventris
Cara forent proprii, miro dilexit amore;
Curavit, pavit, mulsit, tractavit, amavit.
Sic breviter tibi nunc incompto carmine lusi
Historiam Comitis generosi, & militis acris.
Si quis forté foret, cui res hæc falsa videtur,
Is sciat ostendi Petrina Erphordiæ in æde,
Conjuge cum bina Comitis, qua membra teguntur.

FINIS.